

5+6/80

KALENDIS IVNIIS

MCMLXXX



RVMOR VARIVS



# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE  
LATINA TURICIENSI in aedi-  
bus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in  
singulos annos editur.

Editio : CCCXXX

Pretium subnotationis :  
(annum)

In Helvetia Fr. 8.80  
In Germania DM 11.--  
In Austria SS 90.--  
In ceteris  
Europae terris Fr. 13.--  
In terris trans  
maria sitis Fr. 18.--

Singula specimina, qui  
rogaverit, gratis accipiet

Collegium redactorum :

Ulricus Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Patrickus Hardmeier  
Martinus Meier

Impressum et dispositionem  
rerum legentibus publican-  
darum curat :

Patrickus Hardmeier

Typographieum :

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda  
sunt ad domum editoriam :

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarum :

Schweizerische Bankgesell-  
schaft  
RVMOR VARIVS 806.134 J 1 A

RVMOR VARIVS wird von der  
SOCIETAS LATINA TURICIENSI  
unter dem Patronat der AKAD  
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 Mal  
jährlich.

Auflage : 330

Abonnementspreis :  
(jährlich)

Schweiz Fr. 8.80  
Deutschland DM 11.--  
Oesterreich SS 90.--

Übriges Europa Fr. 13.--

Uebersee Fr. 18.--

Einzelne Probenummern kön-  
nen gratis bezogen werden

Redaktionsteam :

Ulrich Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Patrick Hardmeier  
Martin Meier

Graphik und Layout :

Patrick Hardmeier

Druck :

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse  
(Briefe, Korrespondenz) :

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen :

Schweizerische Bankgesell-  
schaft  
RVMOR VARIVS 806.134 J 1 A

# PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus legentibus  
salutem dicit!

Tandem advenit aestas, cari amici, quo tem-  
pore plerique vestrum, dum feriae manebunt,  
rusticatum abibunt\*. Iamne deliberavistis,  
quos libros his proximis feriis legendos in  
itinere vobiscum portaturi sitis? Certe  
amicum vestrum RVMOREM VARIVM portabitis;  
sed viginti paginae huius libelli fortasse  
non suppetent ad legendum, cum feriarum  
tempus longum sit! Longissimi autem sunt  
temporibus feriarum dies pluvii; qui, ne  
vobis pleni taedii fiant, optime aliquibus  
libris iucundis legendis a vobis degentur.  
Nuper tales libros iucundissimos novi,  
quos vobis legendos commendo: Scripsit  
Aulus Gellius titulō "Noctes Atticae" XX  
libros, in quibus de multis rebus ad va-  
rias disciplinas pertinentibus disseruit.  
Hic auctor, cum circiter anno CXXX p. Chr.  
natus sit, proposita in his libris tanta  
alacritate tractavit, ut putares hos lib-  
ros nostris temporibus scriptos esse! Sunt  
autem "Noctes Atticae" faciles lectū, quod  
Auli Gellii genus scribendi etiam iis, qui  
linguae Latinae nondum periti sunt, iucun-  
dum videatur.  
Vobis capitulum quintum decimum libri ter-  
tii ante oculos ponam, ut melius intelle-  
gatis, quae sit mentio mea:

---

\* rusticatum abire = sich in die Sommer-  
frische begeben

=====

Exstare in litteris perque hominum memorias traditum, quod repente multis mortem attulit gaudium ingens insperatum interclusa anima et vim magni novique motus non sustinente.

Cognito repente insperato gaudio exspirasse animam refert Aristoteles philosophus Polycritam, nobilem feminam Naxo insula. Philipides quoque, comoediarum poeta haut ignobilis, aetate iam edita, cum in certamine poetarum praeter spem vicisset et laetissime gauderet, inter illud gaudium repente mortuus est. De Rodio etiam Diagora celebrata historia est. Is Diagoras tris filios adulescentis habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem. Eos omnis vidit vincere coronarique Olympiae eodem die et, cum ibi eum tres adulescentes amplexi coronis suis in caput patris positus saviarentur, cum populus gratulabundus flores undique in eum iaceret, ibidem in stadio inspectante populo in osculis atque in manibus filiorum animam efflavit.

Praeterea in nostris annalibus scriptum legimus, qua tempestate apud Cannas exercitus populi Romani caesus est, anum matrem nuntio de morte filii adlato luctu atque maerore affectam esse; sed is nuntius non verus fuit, atque is adulescens non diu post ex pugna in urbem redit: anus repente filio viso copiā atque turbā et quasi ruinā incidentis inopinati gaudii oppressa exanimataque est.

Nonne sunt iucunda haec verba ante MDCCC annos scripta? Tali modo sunt nonnulla cetera capitula in "Noctibus Atticis" ab A. Gellio scripta.

Quā de causā omnibus, qui, quid temporibus feriarum legant, nesciunt, iterum suadeo: Praeter RVMOREM VARIVM interdium aliqua capitula ex libris, quos A. Gellius titulō "Noctes Atticae" de variis rebus iucundis scripsit, legatis! Ita non modo dies pluvios feriarum vestrarum breviores, sed etiam scientiam vestram linguae Latinae ampliorem efficietis!

Felices ferias aestatis omnibus!

Curate, ut valeatis!

Ulricus Aeschlimann

p. s. Addam, quae vestrā sine dubio intersint: Multi loci, quos in seriō a Patricio Hardmeier de legibus XII tabularum publicata invenitis, ex operibus Auli Gelli excerpti sunt.

---

pugil, -ilis	Faustkämpfer
pancratiastes, -ae, m.	Allkämpfer
luctator, -oris, m.	Ringer
savior, -atus sum, -ari	küssen
gratulabundus, -a, -um	sich in Glückwünschen ergehend

## DE PAVCIS DIEBVS LVETIAE PARISIORVM ACTIS NARRATVR

Vos vel illos vestrum, cari legentes, qui superiore VARIO RVMORE me cum uxore mea aëroplano Lutetiam volavisse ignoratis, salvos nos aëroportum, qui "Orly" vocatur, attigisse certiores nunc facio, ita ut narratiunculam hisce verbis continuare possim.

Ab aëroportu automobili conducto (Taxi) ad deversorium (Hotel) nomine "Sainte Marie" (id est "Sanctae Mariae") in via "Rivoli" situm vecti sumus. Collocato ibi cubiculo, corpore curato, exiimus ientaturi (um zu frühstücken) in quadam proxime sita caupona. Ientaculum, ut certo scitis, Parisiorum constat e potu coffeae panecilloque vel panecillis, qui cornūs habent formam vel lunae crescentis sive decrescentis tum, cum eius non plus apparet quam pars tertia. Qui panecilli iudicio nostro tam delicati sunt, ut, quotienscumque Lutetiam proficiscimur, animo praecipiamus voluptatem gustaturi ientaculum illud. Attamen facile non est dictu, quae singula ad saporem iucundum conferant. Etenim nec coffea nec panecilli tantum delectant, accedit etiam genius loci, accedunt sermo, mores et, ut breviter dicam, accedunt omnia propria Parisiorum, quae quidem quomodo unā voce Latine sint dicenda, ignoro; nostro sermone "Stimmung" dicam. Confiteor, quod confitendum est, aliud esse Lutetiae vivere victum quaerentes, aliud

nos aliquot ibi dies viatores degere. Namque vita ibi sumptuosa est reditusque hominis ex plebe ad vitam sustentandam vix suppetit, cum nos, franco Helvetico exornati, ferias quasi luxuriosas praestare possimus.

Tales mecum volvo cogitationes ientans, prandens, cenans, neque tamen me velim tristem fieri putetis. Immo vero scitote gaudere me feriis laetarique dies nonnullos Lutetiae agentem, utpote hominis est negotia aliena paulum curare sibi que consulere soli.

Iucunde pransi, horā iam quintā post solem ortum, ad museum, quod Francorum sermone "Centre Pompidou" appellatur, nos conferimus visuri tabulas a pictore famoso Dalì pictas. At heu nos miseros! Museum clausum est, ut quōque Martis die. Differenda ergo visitatio est in diem posterum. Parvi refert, nam tot alia visenda sunt visu digna, ut molestia otii oriatur numquam.

Quo nunc ibimus primo? Deligendo cruciamur. Tandem animus nobis est ire ad museum nomine "Louvre", quod inter celeberrima est orbis terrarum. Coniugem interrogo: "Quomodo illuc? Ferroviā subterraneā an automobili grandi an pedibus? Quidnam tibi gratius?" -

"Pedibus, inquit, cum sit via brevis, Iupiter serenus viresque nobis integrae."  
- Esto! Eamus!

Quam voluptatem per vias ambulandi! Quem comheatum vehiculorum, quot homines transeuntes, quam immensam metropolim! Museum "Louvre" autem tam amplum est tamque artificiorum copiosum, ut paene nos deficiat animus ac dubitemus, quo passūs dirigamus. Ergo per vasta conclavia temere ambulamus pervenimusque forte ad picturam,

quae fortasse omnium est notissima; non dubito, cari legentes, quin, quae sit, coniciatis. Coniecistis! Est illa a Leonardo da Vinci tabula picta, quae mulierem effingit illam nomine Iucundae, vulgo "Mona Lisa" dictam.

Pro Iuppiter! Haecine est? Spectamus diu simulacrum illud unā cum multitudine aliorum spectantium, ignari quidem, cur imprimis prae ceteris omnibus admirationi sit hominum. Videtur, confiteor, nobis magnifice maximāque esse arte picta, at alias nonnullas picturas non minore arte pictas esse iudicem. Risus certo ille lenis Monae Lisaē mirabilis est laudaturque ore omnium nullum risum umquam tam tectum, occultum magicumque esse pictum dicentium. Dicere licet! Custodes circumstant armati atque intenti, ne furto subducatur. Ingenti enim pretio est.

Ceterum exposita sunt opera celebrium pictorum iam inde ab aetate media usque ad tempora nostra per varia conclavia vasta, ita ut circumeuntes per horas defatigemur spectando iamque pedes vix nos sustineant stomachusque latret. Itaque Graecorum antiquorum artificia in aliis conclavibus exposita spectare supersedemus. Attamen missum facere non possumus, quin percurramus saltem conclavia illa. Tum autem horas plus minus quattuor in museo versati praecipites evadimus petitori cauponam. Quam debilitatem mentis nostrae! Fame si-tique vincimur amorque artis iacet victus.

Devertimur in tabernam, ubi Graeco more epulae optime parantur, parvam et subobscuram. Plena est hospitem in subselliis circum mensam longam sedentium magnāque voluptate, ut videntur, cenantium. Sedes libera est nulla. Expectandum igitur salivā madido ore, dum surgant hospites duo

abeantque, quod paulo post bene accidit. Index ciborum difficilis est lectu, quippe qui vocabula contineat pleraque ignota nobis. A caupone, quid cenare libeat, interrogati, digito, cum lingua Francogallica nos deficiat, lances monstramus in mensa positas, quae pelliciunt.

Et caupo: "Quid ad bibendum?" Egoque uxorem interrogans: "Quod vinum praefers, corculum meum? Rubrum an album?" Et illa: "Nihil meā refert, dum sit Graecum." Egoque ad cauponem: "Vinum origine Graeca!" - Quantum?

- Lagoenam, quaeso!

Interim, dum cena nobis ministretur, colloquimur Francogallice, quamvis aegerrime, cum hospitibus proxime sedentibus.

Brevi post neque illi facile Francogallice loqui mihi videntur nec dubito interrogare, num Parisii sint. Magnum oritur gaudium, cum Helvetios se esse et Turici habitare dixerint, et uxor mea ridens: "Nos quoque, inquit, Turicenses sumus." Quae verba nimirum risum omnium augent neque iam Francogallice loquimur, sed patrio sermone, vel etiam dialecto Turicensi. Vini vasa paulatim complura consumpta iuvant, ut magnā cum familiaritate confabulemur unā sedentes usque ad vesperum.

Hodie cogitanti mihi saepenumero illasque horas memoriā repetenti cor laetitiā palpitat mirumque mihi videtur esse, quod civis in eādē urbe per annos habitantes alius alium ignorat, cum autem convenient locis externis, fiunt amici.

Sub mediam noctem tandem languidi, vinolenti, attamen animo laeti in deversorium reversi sine mora cubitum iimus.

Postridie mane, eodem modo pransi ac pridie, Arcum Triumphī (L' Arc de triomphe) pedibus petimus ibique machinā scansoriā usi supra

tectum levamur. Tectum illud est formā solarium praebetque prospectum in omnes partes ingentem. Etenim viae circiter decem longissimae amplissimaeque quoqueversus, instar radiorum, excurrunt, immenso automobilium numero confertae. (Ciceroni vereor, si hodie resurrexisset, ne interpretandum esset, quid automobilia sint. Neque automobilia tantum, sed vita hodierna nostra explicanda esset omnis.)

Quam ingentem prospectum ab Arcu Triumphali Orbis terrarum umbilicum ibi esse putes teque stare in illo. Quam ingens circum mare domuum! Procul cernimus utramque turrim ecclesiae Nostrae Dominae (Nôtre Dame) tenui nebula immersam, a sinistra autem in colle longinquo alte erectam Sacrae Cordis ecclesiam (Sacré Coeur), propius, dextrâ parte, turrim Eiffeli, altissimum multis abhinc annis aedificium orbis.

Ne plura dicam: Omnia in prospectu visū enumerare longum est neque nobis in alto arcu diutius morari iucundum est. Februario mense, utpote cum ventus frigidus corpora perstringat. Aufugimus igitur nosque conferimus ad officium informatorium prope ecclesiam Magdalenae (Madelaine) situm, ut emamus tesseram ius dantem per dies quatuor omnia vehicula publica utendi nobisque compendium non mediocre conducentem. Quae tessera etiam magno commodo est viatori, quia, ubicumque vult, in automobile grande vel in ferrovia subterraneam inscendere potest neque iam quicquam solvere debet. Quo commodo ut quam primum utamur, statim in automobile grande inscendimus oppidum versus vecturi nomine "Versailles", ubi celeberrimam domum regiam, a rege Ludovico Decimo Quarto exstructam, visamus. Per multos vicos anteurbanos vecti tandem, non procul a domo regia, descendimus iamque apparet aedificium illud magnificum. Cuius

aspectu quantopere commoti simus, referre longum est. Itaque commemorare singula supersedeo satisque habeo dicere magnificentiam aedium, hortorum, lacuum artificiosorum, cultus victusque illius regis acerrime nos fuisse permotos neque dubitasse, quin Ludovicus ille superbus modum bene vivendi aliquanto excesserit sumptu publico, florente nobilitate, servis oppressis.

Narrationem, cari legentes, si vobis grata erit, proximo RVMORE VARIO persequemur. Sin autem argumenta mutari malueritis, aliud quicquam narrabo, cum mihi sit unum et idem. Forsitan de avia mea me malitis pergere narrantem. Dicite, quaeso! Obsequar.

Dr. Emanuel Bernard

## SOLUTIONES

=====

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:  
P. Peuschel  
Unt. Frobergstr. 3  
8542 Wiesendangen

secundum praemium:  
Heidi Willumat  
Funkstr. 84  
3084 Wabern

tertium praemium:  
Victor Bieri  
Brünigstr. 118  
6072 Sachseln

1	N	2	O	3	N	4	N	5	U	6	M	7	Q	8	U	9	A	10	M
8	O	B		9	E	10	S	11	A	12	U								A
10	N	11	O	12	L	13	O	14		15	T	16	I	17	M	18	O	R	
12	A	13	L	14	O			15	P	16	A	17	D	18	I			19	M
15	G	16	U	17	T	18	T	19	U	20	R			21	N	22	E	23	O
17	I	18	S	19	I	20	S			A				A					R
	N			21	S	22	E	23	U			24	E	25	C	26	C	27	A
25	T	26	U					27	L			R							R
27	A	28	D	29	U	30	L	31	T	32	E	33	R	34	I	35	N	I	
		36	U	37	B	38	E	39	R	40	T	41	A	42	S				U
30	A	31	S	32	I	33	N	34	O	35	S							36	A
																			S

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST ! QVODQVE AENIGMA  
RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SOR-  
TEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA IDIBVS IVLIIIS  
MCMLXXX EST!

PRAEMIA SVNT : primum praemium: LIBER  
secundum praemium: LIBELLVS  
tertium praemium: LIBELLVS

# Aenigma

## ad perpendiculum :


1. proverbium Laocoontis  
(VERBVM SOLVTIONIS HVIVS AENIGMATIS)

## ad libram :

2. potio
3. cresco robore
4. populus Lydiae
5. amata Iovis
6. quod asinus et equus faciunt
7. campus
8. pars anni
9. coniunctio
10. ovis non loquitur, non cantat, sed ...
11. meabam
12. pars oris
13. planta arborem redimens

▶ Hoc aenigma nuper cum classe I a  
Gymnasii Interlaciniensis inventum  
ad publicandum RVMORI VARIO mitto.

Bernardus Christen, magister



# DE LIGNO SVLPHVVRATO (DS ZÜNDHÖLZLI)

Sulphuratum inflammavi lignum flammam proferens,  
ut cigarulus arderet, ignem ligni capiens.  
At in terram cecidit  
neque multum afuit,  
quin delesset stragulum, quod ibi iacuit.

Ignem scis periculosum esse, nisi caveris,  
ac tapete pretiosum igni mihi est nimis:  
potuisset - mihi vae! -  
ire flamma et villae  
neque scis, quae ultra evenisset res Parcae.

Esset ingens ortus torris, accurrissent vigiles  
voce alta inclamantes et captantes uteres  
et sparsissent copiam  
aquae frustra maximam  
nequeuntes sic servare urbem miseram.

Homines suo timentes erravissent in viis,  
incendisse rati virum se armassent iaculis.  
Exclamassent: "Cui culpa?"

Facta essent horrida:  
non fuissent tuti consules in curia!

Accurrissent et Germani Parthicique equites,  
pacem Romae servaturi bellavissent celeres,  
involuta Africa  
esset atque Asia,  
periissent terrae mariaque omnia!

Sulphuratum inflammavi lignum flammam proferens,  
ut cigarulus arderet, ignem ligni capiens.

At in terram cecidit  
straguloque incidit.

Deo gratias, quoniam ego removi id!

Martinus Meier

cigarulus, -i, m = die Zigarette  
stragulum, -i, n = der Teppich  
tapete, -is, n = der Teppich

# INSCRIPTIONVM ILLECEBRAE

Inscriptiones me maxime delectant. Haud scio an simili ardore affectus sis, care lector; indulgeas mihi, si paucis verbis exponam, qua re ita gaudeo eis antiquitatis monumentis.

Imprimis ea monumenta sunt recentissima testimonia, quae imaginari possis. Eadem verba quae lapidarius quidem Romanus incidit, hodie nulla alternatione - salvo lapide - leguntur. Fabulae et carmina in libris tradita persaepe mutata sunt, cum alter scriptor altera verba addidit vel omisit vel mutilavit. Lapides manent, verba lapidibus incisa manent. Sine dubio nonnumquam accidebat, ut lapidis vel inscriptionis emptor tantum voce sua lapidario inscriptionem mandaret. Tali modo re vera archetypum inscriptionis ante oculos habes, quamquam multa iam saecula praeterierunt.

Plerumque facillime legi possunt inscriptiones. Cum scriptura capitalis adhibebatur, litterae eius temporis ab nostris vix differunt. Tamen memoria tenendum est opus litterarum incidendarum laboriosum difficileque et fuisse et esse. Stilo celerissime scribas quamvis litteram, facillime deleas, si erraveris, caelo (caelum = Grabstichel, Meissel) multum temporis consumas, dum singula littera incisa sit. Errandi certe locus non erat! Verisimile est inscriptionem omnibus litteris pulcherrime formatis plus constituisse quam inscriptio brevius facta, qua nihil nisi necessaria invenis.



Comprehendas ergo, cur nomen, quod clarissime S E N T I V S scribi deberet, inscriptione quadam legi possit **S E N T V S**.

Celerius inscribi potuit, pretium modicum fuit, oculi delectabantur inusitata specie. Nonnumquam suspicari cogor lapidarium male distribuisse litteras et incepta demum inscriptione cognovisse nullo modo totum nomen primae lineae inscribi posse - cur non fraude minima se tanto discrimine eriperet? Itaque, cum CAMIL(LVS) ei scribendum esset, tantum C M magnis litteris incidit, parvulis A, I, L addens. Denique legimus:

C M


Cum facile recognoscas litteras, minus facile intellegas, quid quibus litteris designetur. Multis enim partibus inscriptionum saepissime adhibitis satis erat primis tantum litteris eam notionem indicari. Titulus defuncto cuidam erectus incipi solet D M, id est Dis Manibus, H S E significat hic situs est, V S L L M: votum solvit libens laetus merito; F C cum legas, ne addideris "Biel" vel "Winterthur", sed suppleas "faciendum curavit/curaverunt".

Nonnumquam lapides inscriptiones continentes fracti sunt, ita, ut tantum maiorem vel brevior partem inscriptionis habeas. Id cum accidit, maximo ingenio partem amisam iterum complere conaberis. Cave autem, ne decipiaris. Magister quidam celeberrimus excavationibus factis partem inscriptionis invenisse dicitur: TENER. Paucis diebus post, secunda iam parte inventa, valde gavisus est, cum VERBO legi posset. Non dubitavit magister, quin carmen invenisset, quo tener puer verbo dulci amicam laudaret.

Paulo post siluit autem infelix ille magister, cum tertia pars inscriptionis excavata esset, qua EINGANG legebatur.

Iocum barbatum hanc narrationem censes? Non obloquar. Ad graviora revertamur. Paucis annis post Aquis prope Vindonissam sitis maior inscriptio ad lucem prolata est, quam Aquis in horreo (Kornhauskeller Baden) inspicere possis, ubi murum ornans iterum in pariete inclusa est. Tibi, care lector, enitendum est, quid tibi suadeat haec inscriptio. Si desperaveris, leges solutionem proximo RVMORE VARIO. Vale.

Dr. Jürg Bleiker



XXI C  
· APIS ·  
SEL · LAC  
HE ·  
NT · VT · VOL  
ED · SEC ·

H6b  
1963

# DE LEGIBVS XII TABVLARVM

## TABULA IV

1. ... cito necatus tamquam ex XII tabulis insignis ad deformitatem puer. (Cicero, de leg. 3.8.19)
2. SI PATER FILIUM TER VENUM DUIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO.
3. Illam suam suas res sibi habere iussit ex XII tabulis, claves ademit, exegit.  
(Cicero or. philipp. 2.28.69)
4. Comperi, feminam ... in undecimo mense post mariti mortem peperisse, factumque esse negotium ... quasi marito mortuo postea concepisset, quoniam Xviri in decem mensibus gigni hominem, non in undecimo scripissent.  
(Gellius 3.16.12)

Tabulae IV et V (quam RVMORE VARIO subsequente vobis proponam) ad familiam pertinent. Ut leges singulae vobis faciliores sint intellectu, utile mihi videtur introductione brevi aliquid de familia Romana dicere.

## ► I n t r o d u c t i o =====

Animo tenenda sunt imprimis facta duo, quibus familia Romana a familia nostra maxime differebat:

1. Diebus nostris verbum "familia" plerumque designat coniuges liberosque eorum nondum adultos. Romani autem "familiam" appellare solebant non modo patrem matremque familias et liberos eorum nondum adultos, sed etiam et liberos adultos et uxores liberosque illorum. Nam pater familias potestatem habebat in eas personas usque ad mortem suam. Exemplum dilucidum nobis refert Maximus Valerius historiarum scriptor: Anno CCXXXII a. Chr. n. C. Flaminius consul legem ad populum promulgare voluit. Patri consulis autem ea lex displicuit. Vetuit ergo pater filium suum istam legem promulgare. Filius oboedivit.
2. Patria potestas infinita erat. Quin etiam ius vitae necisque habebat pater familias in familiam suam. Sed hoc iure abuti ei non licebat, vetabat "ius sacrum" perantiquum. Imprimis autem censor, qui mores a maioribus acceptos regebat, vigilabat, ut nullus pater familias ex levissimis causis atrociter in familiam saeviret.

Patrem familias inaeque agentem "notā censoriā" affingebat publice, senatorem, qui turpi modo familiam tractaverat, e senatu removit censor.

▶ Lex 1  
=====

insignis ad deformitatem = missgeboren

Puerum portentosum natum ergo pater necare poterat. Sed antequam testes quinque convocandi erant, qui confirmabant partum monstruosum esse.

Cur de puellis nihil praescriptum est hac lege? Verisimile patri licebat puellas, quas alere et educare nolebat, exponere.

Vereor vobis horrescere, cari legentes, talia cognoscentes. Nolite quidem contemnere eos homines; immo animo reducite, quantum opere diebus nostris mos turpis abortationis longe lateque sit diffusus!

▶ Lex 2  
=====

DUIT = dederit vel dedit

VENUM DARE hic non significat "vendere", sed "auctorari" (verdingen).

Pater familias pecuniā egens, filios autem nonnullos habens, quos alere vix poterat, saepe unum eorum alio patri familias locupletiori auctorabatur.

Sicut negotia cetera complura, quae magni momenti erant, etiam auctoratio filii caerimonia exagebatur, quae mancipatio appellabatur.

Quomodo mancipatio fiebat, exemplo sequente demonstrabitur:

Titus filium suum Marcum auctoraturus congressus est cum Gaio Marcum accepturo. Adfuerunt testes quinque et vir, qui libram manū tenuit (itaque appellatus est "libripens", linguā nostrā diceremus "Wägemeister"). Nunc Gaius libram aere, de quo cum Tito convenerat, implevit et Marcum manu capiens solemnia verba dixit:

"Hunc ego Marcum ex iure Quiritium meum esse aio isque mihi emptus esto hoc aere aeneaque libra."

Marcus ita in potestate Gaii delatus est et in familia eius vixit tempus, quod constitutum erat inter Titum et Gaium.

Hoc tempore praeterito Marcus patri suo Titō reditus est a Gaio. Negotium mancipationis caerimoniā factum est. Eo modo Marcus in potestate genitoris sui iterum pervenit.

Cur secundum hanc legem a patria potestate liber erat filius, quem pater ter auctoratus erat? Qualis erat ratio legis?

Talis praescriptio filium adversum patrem, qui aviditate pecuniae motus eum identidem auctorabatur, protegebat.

▶ Lex 3  
=====

illam suam = uxorem suam

Nuptiae plerumque faciebantur mancipationis simili caerimoniā, quam Romani "cöemptio-nem" appellabant. Uxor eo modo in manum mariti conveniebat; is nunc in eam ius vitae necisque habebat. Quā de causā uxor a marito discedere non poterat, etsi causas gravissimas habuisset.

Maritus autem facultatem habebat repudium remittere uxori (seine Frau verstossen). Sed opus erat marito causa gravis. Causa gravis esse constabat, si uxor - adulterium commiserat - vino se oneraverat.

Maritus consilium amicorum convocavit et causam exposuit. Consilium amicorum enim de rebus familiaribus iudicabat apud Romanos. Si amici consenserant de repudio, maritus uxorem clavibus adeptis ex domo suo exegit verbis: "Baete foras" vel "Res tuas tibi habeto." Liberi semper apud maritum remanebant. Maritus autem, qui ex levioribus causis uxorem domo exegerat severe vituperabatur a censore.

▶ Lex 4  
=====

Cum hereditas dividenda esset, magni referre poterat, an puer vel puella, quem vidua (Witwe) pareret, ante vel post mortem mariti conceptus esset. Difficile erat probatu. De ea quaestione saepe libris hereditariis deliberabatur. Quam ob rem Xviri, qui leges XII tabularum scripserunt, spatium extremum inter supremum diem patris et natalem diem proli eius constituerunt. Liberi, quos hoc spatio relicto vidua peperit, proles mariti mortui esse negabantur.

PATRICIUS HARDMEIER

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(ich bestelle RVMOR VARIIVS)

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
DONVM DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.

(ich bestelle RVMOR VARIIVS für  
mit Rechnung an:

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

RVMOR VARIIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE  
ET CHARTAM MITTE !

DOMICILIVM MEVM :


RVMOR VARIIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

5+6/80

KALENDIS IVNIIS

MCMLXXX



RV MOR VARIVS

